



DE  
ORIGINIBVS INFINITAE POTESTATIS  
COMMENTATIO QVINTA

30

QVA  
**EXERCITATIONES**  
**ORATORIAS**  
IN  
**GYMNASIO ACADEMICO**  
**VVEISSENFELSENSI**  
**EIVSQVE AUDITORIO MAIORI**  
PER SEMESTRE SPATIVM  
A MENSE MAIO AD NOVEMBREM  
**A GENEROSISSIMIS NOBILISSIMISQVE CIVIBVS**  
INSTITVENDAS  
INDICIT  
ATQVE AD EAS  
OMNIVM ORDINVM ET DIGNITATVM  
**SVMMOS OPTIMOSQVE PATRONOS**  
AC  
**FAVTORES**

HUMANISSIME INVITAT  
**IOANNES GEORGIVS VVALTHER**

SERENISSIMI DVCIS VVEISSENFELS. CONSILIARIVS, PROF. P. O. HISTO-  
RIARVM LITTERAR. HUMANIOR. DOCTRINAE MORALIS ET  
POESEOS, BIBLIOTHECAR. ET  
RECT. ADI.

170  
SALVATORIS  
GEMINIS  
A MUNIZ MIO AD MONTANUM  
A CHIUSI SIMIS NOSTRIS PEGE EMBRA  
CHIUSIENSIS  
TURCIC  
ATQVE AD EAS  
OMNIA DEDICAVIT DIGNITATIBUS  
SALVATORIS  
HUMANISSIME INVITAT  
IGAVINUS GESRICIAS AVARTHE  
TURCICUS DACT AVARICIA TURCICUS PROL DACT  
TURCICUS TURCICUS HUMANIOR DOCUMENTA MODERNA ET  
TURCICUS HUMANICUS IT  
TURCICUS ADI



ccasio declamandi iusto rario in scholis superioribus aequem magnum, nostra aetate, obiicit eloquentiae impedimentum, ac crebrior illa in scholis inferioribus damnum afferre solet. Et expectanda ingeniorum maturitas est: et oblata quodammodo praesens que non negligenda. Est enim eloquentia, pueris adhuc nascientibus induita, atque proposita iuuentuti, ab historiarum philosophiaeque subsidiis destitutae, vel nulla, vel in molestam abit loquacitatem. Contra ea cuius adolescentis ingenium sapientiae veterisque memoriae praecceptis subactum est, nisi is mature loqui dice reque discat, et tamquam ex sodalium suorum umbra in luce soleque concionis ponatur interdum, per omnem vitam aut horreret populi conspectum atque obmutescit, aut perineptus euadit orator. Sunt autem in primis Gymnasia Academica exercitatio nibus oratoriis apta. Haec medium feriunt inter Scholas Academiasque, et litterarum studia eiusmodi tractant, quibus munitus impiger adolescentis, tandem eloquentiae operam nauare et potest, et per aetatem suam, plurimarumque Academiarum rationem etiam debet. Sileo comoda, quibus haec litterarum sedes p[ro]ae aliis gaudet. In primis Aula atque Vrbs nostra summis et maximis ornatae sunt litterarum patronis, quorum praesentia, honorumque et virtutum propinqua adeo decora, ut stimulos in animis abundent, sic insigni sunt declamantibus honori. Quid? quod ipse SERENISSIMVS DVX ET PRINCEPS DOMINVS IOANNES ADOLPHVS, *Gymnasi nostri clementissimus stator*, dicentes ciues nostros interdum, praesertim auspiciatissimum diem natalem demississime gratulantes, qua est diuina humanitate, gratiosissime audit. Commendabit et hoc immortalitati memoriam Principis, maximum in terris Romanorum imperatorem Augustum imitantis, qui declamationibus nobilis adolescentiae, ad magnamque spem natae, vbi per grauissimos labores fieri potuit, operam dedit.

Atque his aliisque de caussis ciuium nostrorum aliqui per moti,  
a 2

XXXVI.

moti, rogarunt me, vt ipsis dicendi publice et copiam facerem, et materiem suppeditarem: quorum adeo laudatissimo desiderio satisfacere in praesentia volo debeoque. Dicturi vero per hoc se mestre spatium sequentes sunt

CIVES GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI

AVGVSTVS VVILHELMVS de MARSCHALL,  
*Eques Thuringus.*

GEORGIVS FRIDERICVS de BERLEPSCH,  
*Eques Thuringus.*

IOANNES BENIAMIN de BERGHEIM,  
*Eques Alsaticus.*

IOANNES VVILHELMVS OTTO SETFERTH,  
*Lauchens. Thuring. Iuris Studiosus.*

IOANNES CHRISTIANVS GVNTHER,  
*VVeissenfels. Theologiae Studiosus.*

CHRISTIANVS GOTTFRIED ROTHE,  
*Nebra Thuring. Alumnus Duc. Iuris Studiosus.*

OTTO ANDREAS VVOLDERSHAVSEN,  
*Interbocensis. Theologiae Studiosus.*

LVDEVIG CHRISTOPHORVS HIRTE,  
*Longosaliss. Thuring. Alumnus Duc. Iuris Studiosus.*

MICHAEL CHRISTIANVS SEMLER,  
*VVeissenfels. Iuris Studiosus.*

IOANNES EHRENFRIED STRUPPE,  
*Moelsens. Misnica. Alumnus Ducalis. Theologiae Studiosus.*

IOANNES GEORGIVS KETTNER,  
*Thomasbruck. Thuring. Alumn. Ducalis. Theolog. Studiosus.*

IOANNES GEORGIVS LEBERECHT FABRICIVS,  
*Lauchens. Alumnus Ducal. Theologiae Studiosus.*

His singulis ad declamandum et materiem datam et tempus fixum cum Oratoris nomine, scheda typis descripta, in loco publico suis temporibus solito more sum indicaturus. Initium facient

Generosissimus et magna spei indolisque ciuis

GEORGIVS FRIDERICVS DE BERLEPSCH,  
*Eques Thuringus.*

atque in oratione comprobabit,

*Eduvar-*

*Edvardum III. Angliae, Franciae Regem, Hiberniae dominum  
rel. Periscelidis Anglicanae auctorem, regem fuisse sua aetate  
prudentia cum ciuili tum militari maximum;*

Et Nobilissimus perindustriusque ciuis  
**IOANNES GEORGIVS LEBERECHT FABRICIVS**

*Lauchens. Thur. Alum. Duc. Theol. Stud.  
qui carmen germanicum recitabit de*

**IOANNE ADOLPHO**

*Periscelide Anglicana dignissimo;*

Idque proximo die IIII. Maii mensis, qui in fastis Julianis dies est  
XXIII Aprilis, et S. Georgii nomine ornatus; quo die memoriam  
institutae Periscelidis Angli sollemini ritu obire solent. Has  
igitur exercitationes ut Illustrissimi Illustresque summe et plurimum  
Venerabiles Praenobilissimi Doctissimique Patroni et Fautores  
tum Generosissimi et Nobilissimi Ciues Gymnasii benignissime  
audire velint, pro eo ac debo rogo.



**R**egnum initii, atque iis potissimum in Asia, superiori com-  
mentatione diiudicatis, consequens est, ut nunc videamus,  
vtrum haec regna in definitis an infinitis sint habenda. Hermannus Conringius, ceteroquin antiquitatis optimus diiudicator,  
Asiae Africæque infinita tribuit. *Quaedam regna, 1) inquit, sunt  
iusti dominatus, in quibus proinde subditi iure seruiunt, rex herum  
iure agit. Eius naturae et olim fuerunt et hodie sunt omnia Asiati-  
carum et Africanarum gentium regna.* At vero fuit tempus, cum  
Asianis definita modo essent regna. Manifesto enim omnia pro-  
fanorum regna, excepto Aegyptio, quae ante Iephtham in sacris  
litteris inducuntur, definita fuerunt, quod iam ex parte ostendit Iacobus Perizonius 2). Possunt tamen quam plurima his, a  
Perizone non expositis, addi. Sic ipsi Angli coguntur fateri 3),

a 3

Phi-

1) Herm. Conring. Tom. VI. Opp. p. 570.

2) Periz. Diff. VI. p. 631. 632.

3) Histor. vniuersal. Tom. II. pag. 86.

### XXXVIII.

Philistaeos et Syros in Coelesyria et Mesopotamia definitis regibus primum vfos esse.

His alii bene multi populi addi possunt. Sic vniuersae Arabiae gentes, quae tam felices et beatae sub regibus fuerunt suis, vt nunquam bello victae ferantur; quam diutissime seruarunt antiquissimum definitorum regnorum morem. Singulis urbibus praerant singuli reges 4). Rex οὐρανού τῶν κρέσεων καὶ τῶν ἀλλων habebat, potestatem iudiciorum et rerum quarundam aliarum: qui tamen, praesertim apud Sabaeos, pedem ponere extra regiam vtabatur lege 5). Apud Nabataeos dabatur curator, ἐπίτερος, regi, ita saepe populari, vt apud populum caussam diceret 6).

Lydis etiam definitum erat, etiamsi id quoque negant Angli 7), regnum. Cum Gyges, Heraclidis in Candaule deletis, nuptiisque cum regia vxore factis, regnum occupasset: populus Lydorum in armis fuit, regi se opposuit, resque inter regem populumque controuersa ad oraculum delata Delphicum; quo oraculo stante a rege, Gyges regno potitus est 8). Idem de gentibus in Asia minore dicendum ad Halym fluum, quae, teste Pomponio Mela 9), reges saepe suffragio delegebant, vinculisque et arctissima custodia tenebant.

Obiiciuntur vulgo hic vicinae populo DEI gentes, Mesopotamii, Moabitae, Cananitae, Midianitae, Ammonitae, Philistaei, qui Israëlitas ante et paulo post excidium Troianum despoticō subiecerint imperio, atque in priuatam assuerint seruitutem 10). Sed hoc idonee comprobari non potest. Seruire enim tunc temporis nihil aliud erat, nisi pendere tributum, vti adcurate ostendit Alphonsus des Vignoles 11). Ceterum retinebant leges suas, iura sua, suosque magistratus, vt adeo vere proprieque loquendo domini-

4) Strabo XVI. pag. 1113.

5) Ita enim locus ex Leopardi, excellentis viri, emendatione legendus apud Strabonem XVI. pag. 1124.

6) Strabo pag. 1126. 1130.

7) Histor. vniuersal. Tom. IIII. pag. 238.

8) Herodotus I. C. 13, pag. 6.

9) Pomponius Mela I. 1. C. 19.

10) Opinatur hoc praeter ceteros Osiander in notis Coceii ad Grotium p. cccviii col. 1,

11) Alph. des Vignoles Chronol. sainte Tom. I. p. 20 - 26.

minici imperii hic nulla sint vestigia, quae deinceps in omnibus fe-  
re Asiae regionibus expressa sunt ad sempiternam memoriam.

De Scytharum imperio dubitant Angli 12). Sed multa sua-  
dent definitum fuisse; in primis consuetudines, ab omni honoris,  
opum, et regnandi cupiditate alienae 13). Testantur rursus reges  
a Scythis regno exuti; vt is, qui Graecorum mores legesque sub-  
iectis suis obtrudere volebat, Scyles dictus, in cuius locum sus-  
pectus Octamasades est 14). Quin in remotissimis atque ultimis  
orbis terrarum partibus, maximeque barbaris, definita in regnis  
obseruata diutissime ratio. Exemplo esse potest Taprobane insu-  
la, Strabone teste 15), ante Indiam versus Aethiopiam posita, non  
minor Britannia 16), aut prima pars, auctore Hipparcho, orbis  
alterius 17). De hac Plinius; *eligi regem*, inquit, *a populo, libe-*  
*ros non habentem; et si postea gignat, abdicari, ne fiat haereditarium*  
*regnum. Rectores ei a populo triginta dari; nec nisi plurimum senten-*  
*tia quenquam capite damnari, sic quoque appellationem esse ad popu-*  
*lum* 18).

In antiquo etiam orbe haereditarium regnum non semper in-  
finitum fuit. Tum, cum Lacedaemoniorum regnum, Ephoris  
constitutis, maxime definitum esset, tamen manebat *καὶ τὰ γένος*  
*αὐδίος*, haereditarium 19). Quin plurima regna quondam, teste  
Aristotele 20), auctore hac in causa facile principe, erant patria,  
nimirum accepta a parentibus, et tamen vel maxime definita.  
Proinde neque Troianum, neque Myscum, neque Lycicum, ne-  
que alia regna, haud facile absoluta dixerim propterea, quod in  
patrum locum suspecti reperiantur plerumque filii. Consequenti-  
bus temporibus in his regnis regis superior populo omnino fer-  
tur potestas; sed hanc in regnorum initis statim obtinuisse, aliun-

de,

12) Histor. vniuers. Tom. IIII. pag. 145.

13) Iustinus L. II. C. 2.

14) Herodotus L. IIII. C. 86.

15) Strabo Lib. II. p. 124.

16) Idem Strabo L. II. p. 129.

17) Pomponius Mela Lib. III. C. VII. p. 280. ed. Burman. 1722.

18) Plinius histor. natural. L. VI. C. 22. extr.

19) Aristotel. Polit. Lib. IIII. Cap. XI. § 1.

20) Id. Aristoteles L. IIII. C. XI. § 13. p. 577.

## XXXX.

de, non ex successione sola, comprobandum est. Interim haec et plurima alia, vti iam diximus, in absolutis numerant regnis Angli.

Perlustratis adeo et diiudicatis Asiae regnis, quorum ad nos aliqua peruenit notitia, operaे nunc pretium est, in Europam migrare, cuius regna et maiori in lumine posita sunt propter scriptorum frequentiam, et prudentiae ciuilis clariora documenta sis-  
tunt. Nobilissimi autem non tantum Graeciae, sed vniuersae etiam Europae, fuerunt *Athenienses*, vt humanitatis artiumque reliquarum, sic politiae in primis melioris germani auctores 21). Horum antiquissimum, in primis ante Théseum, regnum multis dubium est: Angli despoticum putare videntur 22). Sed omnia vincunt, definitum tuisse. Iudicia paene cum regno nata, vt Areopagiticum, quod auctore marmore Arundelliano 23), Cranai, alterius regis, aetate constitutum est, et non ciuium modo, sed ipsorum regum cauſas cognouit 24). Porro populi potestas in constituendo rege, sine cuius voluntate regum nemo imperio admouebatur 25). Alia lubens praetereo. Ipsi tamen reges vniuerso populo non erant superiores, sed potius pares. Iac. Perizonius mauult populo inferiores et subiectos dici 26), sed minus adcurate. Pausanias enim, τὰς ἀπὸ Μελάνθου καλεμένας δε Μεδονίδας, inquit, πατ' ἄρχας μὲν αὐτοὶ Φειλόντος ὁ δῆμος τῆς ἐξωτερικῆς τοῦ πολὺ, ποιησαντες μετέποντες αὐτὸν ὑπέσθυνον 27). Ciuitas Atheniensis Melanthi posteris, Medontidas appellatis, multum detraxit potestatis, atque ex regno eos in magistratum deturbavit, rationibus reddendis obnoxium. Quid igitur? Ante Medontem ἀντιπενθυνός erat rex, ad minimum plurima ex parte. Sed eiusmodi rex legibus quidem subiectus esse potest, sed populo certe par censendus: quod non reipublicae, multo minus populo, rationem reddere tenetur. Vno ver-

21) De artibus testis est Cicero de Orat. L. I. C. 4. de ciuili doctrina Iustin. L. II. C. 6.

22) Histoire uniuerselle Tom. IIII. p. 287.

23) Apud Marham. can. chronico p. 115.

24) Conf. Vbbo Emmius de *republ. Atheniensium* p. 8. edit. Lugd. Batavor. 1632.

25) Vid. Plutarchus in *Theseo* p. 5 et 6.

26) Perizonius in *diss. de imperio* p. 655. seqq.

27) Pausanias in *Messenii Cap. V.* p. 292. edit. Kuhnii.

verbo, apud regem Athenensem in multis populo maius, in reliquis par imperii ius et administratio erat. Sunt enim varii gradus definiti imperii, prout vel laxioribus vel arctioribus vinculis continetur. Quod ex nullo regno clarissimum, quam ex Lacedaemoniorum patet, cuius variam rationem paucis nunc adumbrare animus est.

Regnum *Lacedaemon* constitutum definitum, quinque habuit magnas vicissitudines, quibus, tamquam gradibus, denique in reipublicae, proprie sic dictae, formam prolapsum est. Hoc cum plurimi, maxime recentiores, non animaduertissent, falsam induxerunt Laconici regni speciem; veluti Angli, qui itidem huic tribuunt herile sive despoticum imperium<sup>28)</sup>. Operae igitur pretium haud dubie facturi sumus, si explicatae haec omnia tradiderimus. Quinque autem periodi sequentem in rationem definiri possunt. Inde a *primo* initio ad usque redditum Heraclidarum, qui fere Samuelis, Hebrei vatis, aetate contigit, maior, concedo, erat regum potestas, at tamen definita, ut deinceps videbimus. *Altera* periodus ab hoc reditu procedit ad tempora Lycurgi, Homeri apud profanos, et Ahasiae, regis Iudaici, aequalis. Hoc temporum orbe, viius loco, duo reges pari potestate regnabant, ut dignitas et potestas regalis magis omnino, quam ante, praesertim alterius regis, circumscripta esset. Erant praeterea et populo, ut ante, in imperio partes. Reges ambo rebus studebant nouis, discordibus conatibus suis populum saepe in se armabant, atque huic mature siebant intolerabiles: insigni ad posteros exemplo, hanc definiti imperii speciem omnium pessimam esse. A Lycurgi aetate ad Ephoros constitutos, Ahasi, Iudaici regis aequo, *tertia* pertinet periodus. Diuinit autem legibus Lycurgus noua ratione ius atque administrationem imperii. Eam utriusque huius partem, quam domi exercuerant reges, cum senatu, γερεσιᾳ, ita communicauit, ut maius exercitium iurisdictionis penes hunc esset; militiae vero potestas paene tota in reges esset deuoluta. Facta hinc compensatione, par fere regibus cum senatu populoque censenda ratio utriusque potestatis, et iuris et

b

ad-

<sup>28)</sup> Histoire uniuerselle Tom. IIII. pag. 338.

## XXXII.

administrationis. Cum enim hi reges aetatem bellis gerendis consumerent, rarissime domi commorabantur, et facile ὑπένθυνος esse poterant. Politia enim omnis eorum ad bellum erat compo-  
sita 29). Herodotus auctor est 30), potuisse reges πλευραν ἐπ' οὐν αὐν βέλοντας χώρην τάττε δε μηδένα εἶναι Σπαρτιατίων διακολυτήν,  
bellum regionibus pro lubitu inferre, neminique id Spartiarum pro-  
hibere licitum fuisse. Ab Ephoris ad tempora Cyri quarta est po-  
nenda periodus. Sunt autem, vti inter plurimos constat, Epho-  
ri a Theopompo constituti 31), vt regum absentium propter bella  
continenter gerenda, vices in dicundo domi iure tenerent. Ha-  
bebant autem in obseruandis ipsis regibus aliquam sine dubio po-  
testatem, cum, Platone auctore, tertius reipublicae seruator, Theopompus, ferocienti adhuc regio imperio, Ephorum po-  
tentia iniecerit frenum. Vbbo Emmius, qui hoc quoque obser-  
uat 32), non audet definire Ephorum potestatem. Illud interim  
ex antiquis abunde constat monumentis, Ephoriam alia post alia  
cepisse incrementa. Putem autem, Cyro apud Persas, Seruioque  
Tullio apud Romanos imperante, Ephoram ipsis regibus maxi-  
me tremorem incutere coepisse: qua aetate unus Ephorus nomi-  
ne suo annum signare incepit, vti deinceps Romae bini Consules,  
et iam ante Archontes Athenis. Primus ἐπώνυμος, ita hanc ob-  
caussam dictus, est Chilon, unus in septem Sapientibus Graecis 33).  
Hinc Diogenes Laërtius 34), καὶ πρῶτος ἀπογόνος ἐφόρος τοῖς Σαστ-  
λεῦτι παραχειρώντας primus instituit, ut regibus Ephori adiungeren-  
tur. i.e. pari essent dignitate. Ex hoc male colligit Meursius, Chilonem  
primum Ephoros constituisse 35). Quinta vltimaque Periodus in Cy-  
ro

29) Comprobatur illud ab Hermanno Conringio Opp. Tom. I. n. f p. 3. p. 10. Tom. III.  
§ 5. p. 1067. § 23. et n. b. p. 695. leges in primis ad virtutem bellicam instructae Tom. III.  
§ 38. p. 540. § 11. p. 674. Tom. III. § 2. p. 980. quin Aristotelis aetate pro scopo ha-  
buit potentiam bellicam Tom. III. § 4. p. 7. 57.

30) Herodotus Lib. VI. C. 56. p. 348.

31) Vid. Edvv. Simson hist. vniu. Part. III. p. 484. edit. VVesselingii. Herodotus quidem ha-  
bet Lycurgum auctorem, sed minus recte, vti dudum comprobatum est.

32) Vbbo Emmius de republica Laconum p. 291.

33) Confer. Edvv. Simson. hist. vniuers. p. 634.

34) Diogenes Laërtius in Chilone Lib. I.

35) Ioannes Meursius in Miscell. Lac. Lib. II. C. III. p. 170. seqq.

ro figenda. Huius aetate, vel etiam breui ante, sensim Ephori caput extollere, maius iusto sibi vindicare imperium, vicarium populi ius in se voluere, reges ad caussam, apud se dicendam, adigere, pro lubitu hos exuere regno, atque adeo in magistratibus reliquis numerare reges, ut definitum adhuc regnum tandem in rempublicam abiret. Sed hoc ut dixi, lentis factum incrementis 36). Iam enim Herodoti aetate 37), qui ultra quadringentos annos post Ephoros, regibus appositos, vixit, reges habebant adhuc absolutum fere ius belli: at domi omnino circumscripti admodum erant. Platonis temporibus ob Ephorum potestatem respublica Laconica Tyrannis dicebatur. Sic enim apud eundem 38) καὶ μὴν ξυνῶν γε, ἀ ζένε, τὴν ἐν λακεδαιμονι πόλιτειν, ἐπι έχω σοι Φράξεν θτως, ἡν πηλ προσωγρέουν αὐτὴν δεῖ· καὶ γέρ τυραννίδι δοκεῖ μοι προσεπιέναι. τὸ γαρ ἐφόρων, Θαυμασον ὡς πρωτεύειν ἐν αυτῇ γέζον. At ego, hospes, dum Lacedaemoniorum rempublicam considero, non ita facile dicere queam, quo oporteat eam nomine appellari: etenim tyrannidi mihi esse similis videtur. Nam potestas Ephorum mirum in modum ibi tyrannica est.

Quae autem, ut eo, quo degressi sumus, reuertamur, ad usque Troiana tempora fuerit imperii Laconici species, hanc ita expressit Vbbo Emmius 39), qui, est vero, inquit, maxime consentaneum, non solutam potestatem, sineque conditione populum in se primis regibus permisisse, cum esset ingenii sublimis et ad libertatem propensi. Quod arguunt etiam motus frequentes, qui statim a regni conditu in eo fuisse a magnis auctoribus produntur. Hos quidem auctores non adducit Emmius, sed sine dubio in his praecipui sunt Thucydides, et Aristoteles, qui tamen omnes de seditionibus loquuntur, post Heraclidarum redditum factis. Thucydides 40) ἡ λακεδαιμον, inquit, μετὰ τὴν οἰστιν τῶν νῦν γενικέντων Δαριεών, ἐπὶ πλεῖστον ἵμενον χρέοντας πατέσσονται, Lacedaemon, ex quo primum Dorientes eam inhabitare coepérant, diutissime seditionibus agitata fuit. Dorien-

b 2

fes

36) vid. interea de Ephorum potentia Conring T. III. p. 539. 551. 575. 958. seq.

37) Herodotus Lib. VI. C. 56 - 58. pag. 348. 349.

38) Plato de legibus Lib. III.

39) Vbbo Emmius in republ. Lac. p. 217.

40) Thucydides de bello pel. Lib. I. p. 5.

### XXXXIII.

ses autem cum Heraclidis Spartam venerunt 41). Aristoteles Parthenios primum in exemplum affert post Troiana tempora ad quadringentos et quinquaginta annos florentes: deinde Lysandri atque Agesilai aeum, quod Persarum est imperio aequale 42). Erat autem harum seditionum praecipua caussa legum pessima et saepe contraria ratio, latarum nimirum a regibus, semper contraaria sequentibus studia, ut, teste Herodoto 43), κακονυμίατοι dicerentur Lacedaemonii. Occurrunt tamen etiam ante Heraclidas definiti vestigia imperii. Orestes, Arcadum et Phocensium auxiliis fretus, Sparta quidem regnum occupat, sed ad regnum confirmandum necessarius est ipsi populi consensus. Hinc Pausanias, Δακεδαιμονίων δὲ ἐβασίλευσεν Ορέστης, Δακεδαιμονίων ἐφεντῶν αὐτῷ. Lacedaemoniis consentientibus Orestes regnum consecutus est 44). Tunc enim temporis bello parta regna non illico, vti sequentibus temporibus, despotica siebant: quod cum minus adhuc sit obseruatum, paucis exponam. Populus, bello petitus, vel peregrinum regem, suo copiis auxiliisque validiorem, lubens ex pacto recipiebat: vel, facto armorum minus feliciter periculo, cum suo rege abibat, aliasque quaerebat rerum suarum sedes. Fieri hoc facile poterat, cum regna adhuc parua essent, et vel uno vel paucis oppidis continerentur. Manebat in utraque conditione pristinus politiae status: quod manifestum est definiti imperii signum. Multa occurunt hanc in rem in antiquissima historia exempla. Nos unum ex Laconicis rebus, quod ad manus est, afferamus. Achaei, pristini Argorum et Lacedaemonis incolae, ante et paulo post tempora Troiana, a Doriensibus bello superati, ex patria migrant; regem suum Tisamenum, Orestae filium, secum ducunt; et Iones, missis caduceatore, rogant, ut sibi et regi suo Tisameno concedant ius incolendi. Recusant hoc Ionum reges, metuentes, ne, Achaeis Ionibus permisisti, *communi consilio* Tisamenus *tum ob fortitudinem, tum ob generis splendorem rex eligatur*. Armis igitur decernitur. Achaei, bello superiores, Iones patria pellunt,

41) cf. Edvv. Simson in hist. vniuers. P. II. p. 375. 376.

42) Aristoteles Polit. Lib. V. C 7. § 3. 4. 5. ed. Conringii.

43) Herodotus Lib. I. C. 65. p. 25.

44) Pausanias Lib. II. C. XVIII. pag. 151.

pellunt, qui ab Atheniensibus in ciuitatem recipiuntur. Hactenus Pausanias 45). Ex hoc luculentissimo de definito Lacedaemoniorum regno duo praeterea colliguntur; neque bellis haud facile tunc mutatam esse imperii formam, migrantibus ex terra sua plurimum deuictis gentibus; et reges ob fortitudinem et genus **ex-celsum** adhuc constitutos esse.

Post Athenienses et Lacedaemonios clarissimi in Graecia erant Argiui, in Peloponneso degentes: quorum imperium et Hugo Grotius 46) et Angli 47) infinitum putant. Hugo Grotius in caussam suam adducit locum Aeschylei 48), ubi Danaides suplices ex Aegypto Regis Argiui implorant auxilium,

Xo. Σὺ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δῆμον,  
Πρύτανις ἀκριτος ὁν,  
Κρατύνεις βωμὸν ἔσια χθονός  
Μονοψήφοισι νεύμασι σέθεν,  
Μονοσκηπτροῖσι δὲν θρόνοισι χρέος  
Πᾶν ἐπινερπάνεις

Chor. Tu quidem vrbs, tu vero populi communitas,  
Rector supremus existens,  
Imperium geris altaris et foci terrae.  
Vnico tuo nutu  
Vnica imperante in sede negotium  
Omne peragis

sed salua res est. Non populus loquitur, sed peregrinae feminae per chori personam, quae regi Argiutorum blandientes sumnum tribuunt infinitumque imperium, rogantque, ut ipsis auxilio esset. At vero quid Rex? Negat sine populi consensu seid facere posse 49). Clarius patet Argiutorum imperium ex ratione, qua Danaus id consecutus est 50): sola enim populi auctoritate factum asserit Pausanias. Post Heraclidas regnum eodem auctore, ēs ἐλα-

b 3

24

45) Pausanias Lib. VI. C. 1. pag. 523.

46) Hugo Grotius de iure belli et pacis Lib. I. C. 3. § 8.

47) Histoire universelle Tom. IIII. pag. 272.

48) Aeschylus in suppl. v. 375. seqq. p. 583. edit. Corn. de Pavv.

49) Id. Aeschylus c. I. v. 403, 404. conf. Io. Frider. Grononius ad Hug. Grotium. c. I.

50) Pausanias in Corinth. C. 19. add. Perizonius in diff. VI. p. 652.

## XXXXVI.

*χιστον* redactum. Edwardus Simsonius, Anglus, iam ante populi DEI introitum in Aegyptum, existimat, ab Apide, tertio rege, regnum in Tyrannidem mutatum esse 51). Sed falso huc Pausaniam 52) testem excitat, qui Apim in Argiuis non numerat regibus 53), neque Aeschylus hunc regem Argium appellat.

*Thebanum* regnum itidem ab Anglis in despoticis habitu 54). Sed verisimile non est, regni auctorem, Cadmum, qui Phoenicum insignem coloniam in Graeciam duxit, formam mutasse Phoenicibus usurpatam, definitam nimirum 55). Cum enim hi longinqui itineris, diurnique erroris fortunae se commisissent vltro, atque adeo periculorum omnium participes fuissent: aequum erat et fere necessarium, vt in imperii quoque societatem admitterentur. Neque initia regni Thebani hanc confellunt suspicionem. Cadmo enim in Boeotiam delato, Hyantes, incolae veteres, bello victi, ex patria profiscuntur: Aones contra, societate cum Cadmeis facta, vna cum his incolunt regionem, atque ab urbe, deinceps condita, communis nomine Thebani appellantur 56). Hic ego quidem nihil infinitae video potestatis. Antiquus seruatur mos, cuius iam species in Lacedaemonico apparuit regno. Fac autem, reges nonnullos consequentes potestate sua abusos esse. Num abusus legitimam probat imperii formam? sed nimis diu in Graecia commorati sumus.

In Italia, pulsis Siculis, *Aborigines*, in societatem accitis Pelasgis, aliisque Graecis, ad usque Troianum excidium, Troianorumque aduentum, floruerunt: quibus Sallustius negat 57), et regem et imperium fuisse. Sed Dionysius Halicarnassus, melior rerum Romanarum antiquissimarum auctor, vtrumque ipsis tribuit 58). Apud eos enim conantem tyranni personam gerere regem, alii ad pristinum humanumque regnandi morem, vel consilio vel vi armis-

que

51) Simsonius in hist. univers. p. 106.

52) Pausanias Lib. II. C. 5.

53) Pater ex Pausan. Lib. II. C. 5. et C. 15. et 16. conf. Petrus VVesseling, ad Simsonium p. 106.

54) Histoire universelle Tom. III. p. 300. seq.

55) Vti in superiori comprobauimus Comment.

56) Pausanias Lib. VII. pag. 719.

57) Sallustius Catil. VI, § 1.

58) Dionysius Halicarnass. Lib. I. p. 24. 32.

que reuocabant, cuiusmodi exempla Dionysius Halicarnassus affert<sup>59</sup>). Cortius defendit Sallustium, Aboriginesque in auream, atque adeo Patriarcharum primam demittit aetatem<sup>60</sup>). Sed illi hac multis sunt saeculis posteriores. Apud hos Aborigines post Trojanam etiam aetatem, ad usque conditam Romanam, regum de successione lites populi suffragio dirimuntur<sup>61</sup>). Amulius videtur prima iecisse infinitatis in imperio fundamenta, fere in tyrannidem abeuntis<sup>62</sup>): cuius macula deinceps a Numitore deleta est<sup>63</sup>).

Atque haec vniuersa regna, a nobis iam exposita, Heroica dixit Aristoteles, utpote heroum aetate ante et sub Trojanam tempestatem clara. Antiqui etiam saniores vniuersi probant id vehementer. In primis ad hanc potissimum aetatem, et paullum citeriorem, spectant verba Ciceronis<sup>64</sup>): *Videtis igitur magistratus hanc esse vim, ut praesit praescribatque recta, et utilia et coniuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus: vereque dicti potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Nihil porro tam aptum est ad ius conditionemque naturae, quam imperium et rel.* Per leges intelligit constitutiones primorum regum, quae vim legum habebant: quod ab aequitate profectae, populi consensu factae essent. Hinc Iustinus<sup>65</sup>): *principio rerum, inquit, arbitria regum pro legibus fuerunt; quod definita regna primum solius regis praecepsit, rationi utilitatique communi consentaneis, consentiente populo, sine legum scriptarum apparatu consisterent. Deinceps accessit legum quoque, litteris mandatarum munimentum.* Hoc obseruato, clarus est locus Polybii<sup>66</sup>): *πρώτη μὲν ἐν αἰατασκένως οὐδὲ Φυσικῶς συνίσαται Μοναρχία τάυτη δ' ἐπεται οὐδὲ ἐν τάυτη γεννᾶται μετακατασκενής οὐδὲ διορθώσεως βασιλεία. Primum sineulla arte, ipsa*

na-

<sup>59</sup>) Idem Dionysius Lib. I. p. 39.

<sup>60</sup>) Cortius ad Sallustium p. 40.

<sup>61</sup>) Dionysius Lib. I. p. 56.

<sup>62</sup>) Idem C. I. p. 61.

<sup>63</sup>) Idem C. I. p. 72.

<sup>64</sup>) Cicero de legibus Lib. III. C. 1.

<sup>65</sup>) Iustinus Lib. I. C. 1: confirmat hoc quoque Dionysius halicarnass. Lib. X. p. 627.

<sup>66</sup>) Polybius L. VI. C. 2, p. 629, Tom. I. Gronou.

### XXXXVIII.

natura duce, sit monarchia. Hanc deinceps sequitur, atque ex ea originem habet, cum accessit ars atque emendatio, regnum. Μοναρχία hoc loco est definitum imperium. Cum enim μονος et νυν et solum significet: prior significatus est huius loci. Patet hoc abunde ex ipso Polybio, qui Monarchiam non tantum a Tyrannide distinguit, sed illi etiam regnum infinitum, opponit 67).

Vnum adhuc monendum est de definito regno. Tragici scriptores, qui post Darii Hystraspis tempora ad conscribendas fabulas accessere, quibus infinita in Asia Africaque erant imperia, promiscue neque locorum neque temporum respectu habito, Barbarorum, siue non videntium Graeca lingua, dicunt regna despota absolutaque. Nimirum inexhaustum libertatis studium, odiumque in Persas ascendendum, ab ripiebat homines, ut tempora confunderent et loca; fabulasque his, vt tamen fieri debebat, non facerent aptas. Idcirco Dionysius Halicarnassus, ceteroquin eruditissimus rerum antiquarum enarrator, sed libenter in antiquis poetarum vestigiis insistens, omnibus barbaris gentibus ab initio despota tribuit regna: κατ' ἀρχας μεν, inquit, ἄπασα πόλις ἑλλας εἴσασθεντο πλὴν ἐχώσπερ τὰ Σαραγα εἴην δεσπόζουσας, ἀλλὰ κατὰ νόμους τε καὶ ιδιουμάς πατέρις. Ab initio singulae urbes Graecae regibus singulis utebantur, quibus tamen, vt Barbaris gentibus, non erat imperium despoticum, sed ad leges et patrios mores constitutum 68). Forsitan post ὕσπερ particula excidit καθεξῆς aut alia, vt sit reddendum, Barbaris deinceps gentibus. Sed nihil hic confirmamus. Vtrumque fieri potuit. Vel Dionysius minus adcurate de Asianis aliisque sensit regnis; vel locus mutilus est censendus. P. P. Weissenfelsae ad Salam a. d. III. Maii mens. An. CI 1000 XXXXVI.

67) Polybius C. I C. 3. p. 631. 632.

68) Dionysius halicarnass. Lib. V. p. 336. 337.

---

VV E I S S E N F E L S A E,  
L I T T E R I S   R I C H T E R I A N I S.

01 A 6627



Sb.

VD 17 VD 18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DE  
IBVS INFINITAE POTESTATIS  
COMMENTATIO QVINTA 30  
QVA  
CITATIONES  
RATORIAS  
IN  
NASIO ACADEMICO  
VEISSENFELSENSI  
QVE AUDITORIO MAIORI  
PER SEMESTRE SPATIVM  
ENSE MAIO AD NOVEMBREM  
SSIMIS NOBILISSIMISQVE CIVIBVS  
INSTITVENDAS  
INDICIT  
AT QVE AD EAS  
VM ORDINVM ET DIGNITATVM  
OPTIMOSQVE PATRONOS  
AC  
FAVTORES  
HUMANISSIME INVITAT  
NES GEORGIVS VVALTHER  
VWEISSENFELS. CONSILIARIVS, PROF. P. O. HISTO-  
ERAR. HUMANIOR. DOCTRINAE MORALIS ET  
POESEOS, BIBLIOTHECAR. ET  
RECT. ADI,